



*Reverendi Doctissimi & Celeberrimi viri,
Amici & Fratres in Christo honorandi.*

Status hominis Christiani in hoc seculo non malè conferri potest cum statu foetus immaturi in utero matris suæ. Prout enim ejusmodi foetus, ibi primum ex semine parentum concipitur & formatur, & deinceps gestatur, fovetur, nutritur, crescit, augetur & perficitur, donec, suo tempore in lucem hujus mundi prodeat, & vitam eandem inchoat ac vivit in utero matris, quam postea, in lucem hujus mundi editus, perfectius vivit: ita & homo Christianus, ex incorruptibili semine verbi Dei, concurrente Baptismo, & cooperante vivifico Dei Spiritu, quasi in utero laborantis & militantis Ecclesiæ regeneratur, & formatur ad vitam æternam, & vitam eandem in terris inchoat, quam per & post mortem, ac resurrectionem ex mortuis, immutationemque corporis sui, die novissimo, quâ velut nova quadam nativitate educitur ac prodit in lucem alterius mundi, perfectius vivit apud Deum, Christum, aliosque electos angelos & homines, in cælo. Hæc similitudo unumquemque Christianum, ac in primis Doctores publicos sui admonere officii potest, si mulque miserabilem Ecclesiæ Dei, in terris, adhuc militantis conditionem non obscure adumbrare. Quemadmodum enim ejusmodi foetus immaturus, dum artificiosa Dei manu, in utero matris, formatur & politur, sedet in illo suo admirando domicilio, involutus suis fasciis, & alimenta succumque vitalem, ad sui perfectionem & incrementum, ex matre attrahit per coytledones; ita oportet omnes Christiano is, & in primis Doctores, in Ecclesia Dei, sedere involutos fasciis elementorum Christianæ religionis, & ex verbo Dei, per ministerium Evangelii, attrahere, aliisque Ecclesiæ membris communicare, vitalem succum & salutare nutrimentum doctrinæ fidei & morum, ad spirituale suam aliorumque, in Christi gratia & spirituali vita, conservationem, nutritionem, incrementum & corroboracionem.

):(2

tionem.